

Nummorum in Hibernia : antequam haec insula sub Henrico II. Angliae rege anglici facta sit juris, cusorum indagatio / per Nicolaum Keder. Accessit Catalogus nummorum anglo-saxonicor. & anglo-danicor Musei Kederiani.

Contributors

Keder, Nils, 1659-1735.

Publication/Creation

Lipsiae : Apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1708.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g4upbu93>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

LONDON.
NUMMORIUM.
IN. HIBERNIA.
ANTEquam haec ¹²⁰⁵ INSULA. SUB.
HENRICO. II. ANGLIAE. REGE.
ANGLICI. FACTA. SIT. JURIS.

CUSORUM.
NDAGATIO.

PER.

NICOLAUM. KEDER.
è Regia Societate Antiquariâ
Holmiensi.

Accessit

Catalogus Nummorum
Anglo-Saxonicor. & Anglo-Danicor.
Mus ei. Kederiani.

LIPSIAE,

Apud Jo. FRIDERICUM. GLEDITSCH.
A. M. DCC. VIII.

ALIBI
AUGUSTA 1924 ROG
21

OF

RECEIVED
LIBRARY

LIBRARY OF THE 1815 BAPTIST
COLLEGE LIBRARY

LIBRARY OF THE
BAPTIST COLLEGE LIBRARY



IN. NOMINE. DOMINI.
A M E N.

* * *

Normanni sive Ostmanni (his quippe communibus vocabulis Norwegi, Dani, Sveones & Gothi Hibernis priscis initio innotuerant) circa annum CHRISTI DCCC. primum, ac deinceps variis temporibus Hiberniae littora infestis Navibus invaserunt, ac Regiones nonnullas ferro direptuque devastarunt; & quamvis non semel ab incolis male excepti ejicerentur, inque Patriam profligarentur, auxiliaribus tamen suarum Nationum copiis firmati saepius reversique magnam tandem Insulæ subjugarunt partem, & constructis Urbibus, sedibusque fixis, ex suo corpore elegerunt sibi Reges, qui longa serie per multos annos rerum sunt potiti, usque dum integra Hibernia sub Anglorum delaberetur potestatem, quod contigit tempore Henrici II. Regis Angliae.

An vero illa Ostmannica sive Normannica Gens, quæ in Hibernia consedit, ipsique mere Hiberni, priusquam Insula illa sub Henrico modo dicto Anglici juris facta sit, suos ibidem a se cūsos habuerint Nummos, Nobilissimus & Eruditissimus Jacobus Waræus, Antiquitatum Hibernicarum Capite 25 hunc in modum disquirit: *Quærendum, an Hiberni ante Anglo-rum adventum Nummis usi fuerint, vel auro duntaxat, argento, ære, aut annulis, ad certum pondus examinatis.* Saxo Grammaticus libro 6. Historiae Danicæ narrat, Hugletem Regem Hiberniæ, divitem sed avarum, ab Hacone Dano in prælio victum & occisum, magnam deinde pecunia summam in ærario ejus, Duflinæ, sive Dublinit, a Danis repertam. Sed Saxonis notissimæ sunt fabule. Speciatim tota hec narratio ab Antiquitatum Hibernicarum scientissimis rejicitur. Apud Historicos nostros, dum de rebus antiquis Hibernicis loquuntur, occurrit quandoque auri mentio, quandoque argenti variis occasionibus dati, interdum etiam ponderis. Sic in Annalibus Ultoniensibus, ad annum DOMINI 1004 Brienus Boruma sive Borous Rex Hiberniæ, maxima Procerum multitudine comitatus, Armacham pervenisse dicitur, & inde cum obsidibus ei traditis, in Momoniam rediisse, postquam 20 Uncias auri, in Ecclesia cathedrali Arma-chana, super altare S. Patricii, obtulisset. Item anno 1152 ut ex iisdem Annalibus intelligimus, Tirdelvacus O-Conner Rex Hiberniæ a Dermitio Lageniæ, Melachlino Midiæ, & Tigernacho Brethniæ, Regibus adjutus, signa adversus Momonienses, tum rebellantes, extulit. Pugnatum est al Monimore, alias Monadmore, ubi Momonienses magna strage profligati, eorumque lux

Limericum profugere coactus, pro lytro dedit Tirdelvaco 60 uncias auri, 60 monilia & scyphum aureum, Brieni Boroi scyphum dictum. Item anno 1157 vel 1158 Mauritius O-Loglin tum Rex Hibernie, finita dedicatione Ecclesie Cœnobii Mellifontis (a Gelasio Archiepiscopo Armacano) Monachis ibidem, inter alia donaria, dedit 60 uncias auri, itidem Donatus O-Carollus (Ergallie Regulus & loci fundator) alias 60 uncias, totidemque alias Dervorgilla uxor Tigernaci O-Ruark. Anno item 1161, vel 1162, 420 uncias puri argenti, ab Ossoriensibus collectas fuisse, ad usum Flachertachi O-Brolchan Comorbani Columb-Kill, produnt jam dicti Annales Ultonienses. Sunt & alia multa hujus generis exempla; sed singula hic enumerare, institutio non est mei. An vero aurum, vel argentum ita donatum, percussum fuerit nec ne, non liquet. Audiamus jam, quid de hac re habet Geraldus Cambrensis, Topographia Hibernie Distinct. 3 Cap. 10: Metallorum quoque diversorum (inquit) genera, quibus venæ scaturiunt inferiores, ejusdem ociositatis vitio, nec ad usum prodeunt, nec proficiunt; Aurum enim, quo & abundare querunt, & quod adhuc Hispanico more sitiunt, commerciorum gratia scrutantes Oceanum Mercatores Ostmannici advectant. Ostmannos, & ipsos veteres Hibernos Nummos habuisse ante Anglorum adventum, non est cur quis dubitet. Hoc constat ex Epistola Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, ad Tirdelvacum Regem Hibernie, anno 1704 prescripta, in qua inter alia eum rogat corrigere pravam eam consuetudinem (apud Hibernos usitatam) conferendi sacros Ordines per Pecuniam ab Episcopis. An vero Nummi illi fuerint in Hibernia cusi, vel aliunde inventi,

Viri nonnulli docti dubitarunt. Ad huius rei notitiam quod attinet, fatendum est nobis, eam perquam exilem superesse. Ceterum ad veteres Ostmannos quod attinet, eos in Hibernia Nummos cudisse, satis est argumento Nummus argenteus Aulasi sive Anlasi Regis Dubliniensis, nonnullis Regis Hiberniae dicti, cuius figuram subjungimus. (v. Fig. I.) Restat de Hibernorum veterum Nummis scrupulus: atque hic non possum (fateor) non memorare, rusticos quosdam, Mense Decembri, anno DOMINI 1639 incidisse in magnam vim veterum Numismatum Hibernicorum (argenteorum) prope Glendelacham, in agro Wickloënsi, e quibus aliqua ad manus meas pervenerunt, quorum ectypa hic exhibere opera & pretium duxi. (v. Fig. 2. 3. 4. 5. 6. 7.) Aversa pars Nummi tertii, (nobis hic quarti) annum videtur designare ius, quod si certum sit, non est cur quis ulterius de hac re operam insumeret. De ceteris, cum sine aliqua literarum luce, non habeo quod pro certo affirmem; Antiquitatis speciem præ se ferunt, & procusi videntur ante Anglorum ingressum. Atque tales (opinor) fuerunt minores illi Denarii (quasi oboli) cujusdam veteris monetæ & incognitæ, reperti in quodam campo juxta Kilcolyn, de quibus fit mentio in Archivo fiscali ann. 33 Edwardi I. Ita Waræus ille.

Atqui, ut hosce in agro Wickloënsi fortuito repertos, variae & inconcinnæ sculpturæ, Nummos sex, quos ad veteres mere Hibernos referri posse autumat laudatus Auctor, primum attingam, haud scio, an tales Nummi alio, quam in Hibernia, loco signati sint, nulla quippe in iis Regum, nulla Locorum nomina, nulla ostenduntur alia signa, quæ hæsitationi prorsus omniviam

viam præcludant; neque ideo confessim pro Hibernicis habendi, quod e solo in Hibernia sunt eruti, potuissent enim facile illuc ex vicina Britannia, ad cuius Nummos veteres similitudine quam proxime accedunt, transmigrare. Quod autem ad istorum Nummorum ætatem attinet, nullum oriri dubium potest, quin ea Henrici secundi superet ævum, quæ res tamen ex quatuor illis in media aversi Nummi tertii (v. Fig. 4.) area inter Crucis brachia extantibus Literis evinci nequit. Perperam enim Waræo videntur Literæ illæ exprimerre annum a nativitate CHRISTI M. C. XV. seu IIII, si quidem priscis illis ignotum fuit temporibus, usque ad Sæculum fere XIV. Numismata insignire æra Christiana. Sed voculam CRUX formant quatuor illa Elementa, e quibus C Anglo-Saxonico more angulatum est ita E. Secundo loco pro R positum est C errore aut eius, qui notas insculpsit Formæ chalibeæ (Græci τύπον, Cuneum vocant infimæ Latinitatis Auctores) aut eius, qui ipsum delineavit Nummum, aut ejus denique, qui delineatum cælavit in ligno. Non enim infrequenter vocabulum CRUX, dispositis, sicut in Nummo jammodo indicato, inter mediæ Crucis lacertos Characteribus, occurrit in Sterlingis, seu Denariis vetustis Anglicis; speciatim ecce illud in hoc uno e multis hujusmodi meis. (v. Fig. a.) Nihil itaque certi pro Nummis veteribus plane Hibernicis afferunt producti, e Terra Wickloënsi, Nummi. Quibus merito adjungo quatuor ex argento Nummos, in Britanniaæ Camdenianæ editione Gibsoniana, & quidem locis 9. II. 12. & 37. Tabellæ VIII. Nummorum Saxonorum, exhibitos. (v. Figg. 8. 9. 10, II.) Namque sunt hi quo-

quoque & temporibus Henrici II, si recte perspicio,
 longe vetustiores, & in addito Commentario priscis
 mere Hibernis attributi. The ninth (commentantem
 audis Clarissimum Walkerum) eleventh, twelfth, and
 thirty seventh, seem to be of the ancient Irish Kings,
 the only ones that I ever saw. The Letters are very
 unusual, and therefore difficult to be read or under-
 stood. The ninth I conjecture to be Dida Medino. The
 reverse, two bands in the opposite angles of a cross.
 The word seems to be Iniconeic, a name (as I am infor-
 med) still extant in Ireland. -- The eleventh is of an
 Irish Prince (I conceive) by the words Midino on the
 ninth coin, Midini upon this and the twelfth, which
 seems to refer or belong to Midia, now called Meath,
 one of the divisions and countreys in Ireland. -- The
 thirty seventh seems to be of an Irish Prince, to me un-
 legible. Quæ in Latinum transfusa sermonem hæc so-
 nant: Nonus, undecimus, duodecimus, ac tricesimus se-
 ptimus antiquorum quorundam videntur esse. Hiber-
 nicorum Regum (Reges plane Hibernicos haud dubie
 intelligit Auctor) uni (quatuor) a me unquam visi.
 Elementa ob insolentiam lectu intellectuque sunt diffi-
 lia. Nonus, si rem conjectura assequor, præfert Dida
 Medino. Adversus binas habet in oppositis Crucis an-
 gulis manus. Ibilego: Iniconeic, quale nomen (ut di-
 dici) etiamnum in Hibernia usurpatur. --- Undecimus
 ad aliquem Hibernæ spectat Principem, ceu conjicio ex
 Vocibus Midino in nono, Midini in hoc atque duodeci-
 mo, quæ ad Midiam, nunc Meath dictam, unam portio-
 num regionumque Hibernæ, spectare videantur. -- Tri-
 cesimus septimus Hibernici cuiusdam, ut apparel, est
 Prin-

principis, a me autem legi nescius. Verum (ut quod
ntio ingenue aperiam) cum neque ex hisce Num-
uis certi quid elici queat, quod natale eorum nos cer-
doceat solum, haud magis inde dictæ Genti Num-
ii adstruuntur indigenæ.

Dehinc me ad Anlafi seu Aulafi converto Num-
um istum, quo Celeberrimus Waræus, ab Ostmannis
eteribus in Hibernia monetam fuisse cusam, proba-
conatur; ad illum haud dubie respiciens Anlafum,
egem Dubliniensem, de quo, Capite proxime ante-
dente, hæc commemorat: *Anno 934 Godfridus
Ostmannorum Dubliniensium Rex obiit, ob crudeli-
tem infamis, successit filius Aulafus, alias Aulavus,
sem opinor cum Anlapho illo, qui in prælio ad Brunebur-
um in Northumbria ab Athelstano Anglorum Rege vi-
us est, anno 937. De quo v. Ingulph. & Hen. Hun-
don. Anno 941 Aulafus morte repentina sublatus in-
riit. Hunc Caradicus Lhancarvanensis Abloicum
acipuum Hibernie Regem appellat, & obiisse assertit
anno 939. Liber Marganensis ann. habet 940.* Certe
pannes Speed, in his Historie of great Britaine, seu
Historia magnæ Britanniae, pag. m. 341. huic Num-
mo concolorem, & cæteroqui per omnia, exceptis, in
traque figura, levibus quibusdam reculis, consimi-
m, e divite Collectione Cottoniana, at ampliorem
i quanto ac speciosiorem, quam archetypus mihi vi-
etur fuisse, repræsentatum, quem proinde ad adstri-
uem justioremque hic revocavi modulum (v. Fig.
.) non ad aliud Anlafum, quam illum, ab Æthel-
ano Rege Angliæ superatum, Hiberniæ Regem, refert.
t qui idem Nummus, e Speedi Opere, speciosiore ista

amplitudine mutuo sumtus, inter Nummos, Vitæ Æ
 fredi Magni, a Johanne Spelmanno conscriptæ, pra
 missos, locum secundum in Tabula V. occupans; ne
 non inter Nummos Britanniæ Camdeno-Gibsonianæ
 locum habens in Tab. VII. quartum & trigesimum
 Anlafo cuidam, Northumbriæ in Britannia Regi, a
 mis quoque Æthelstani victo, in Notis Walkerianæ
 adscribitur. Addam ipsa verba. Ad priorem locu
 hæcce lego : *ANLAF CYNING. FARAN MONET.*
Fuit Anlaf, sive Analavus Sihtrici filius, Gurmundi c
gnatus. Fuit autem Sihtricus vir ferox admodum e
superbus; nam cum antecessorum Regum potentiam r
gatis naribus derisisset, Æthelstani affinitatem ultrosu
plicibus nunciis expetiit. (Malmesb.) Huic sororem
suam Editham in uxorem dedit Æthelstanus, cum qua
non ultra annum unum, Christianus tamen illius persu
sione factus, in vita permanxit. Post cujus obitum Edit
vitam religiosam amplexa est, sed ejus filius Anlaf
bellum, una cum Godefrido & Constantino Rege Scotoru
adversus Æthelstanum acerrime gessit, quo victus & su
jugatus est. Ad posteriorem hæc: ANLAF CYNING.
 name very troublesome about the times of Æthelstan, and
 after. There seem to have been two of them; one, King
 of Ireland; another, of some part of Northumberland. Wh
 that not unelegant figure in the midst implies, as a
 that in the Reverse, except it be the front of some
 Church, I cannot conceive; as neither who that Farh
 or Farning was. I much doubted how Anlaf a Pag
 should stamp a Church with Crosses upon his Coin, until
 Mr. Charleton shewed me on a Coin of Sibtric (Anlaf's
 father) a Christian, the very same figures; the Mi

Master for baste or some other reason making use of the same stamp. Latine versa : *ANLAFUS REX.* Hoc Nomen fuit valde turbulentum circa & post tempora Æthelstani. Videntur isthac Nomine duo fuisse Reges, alter Hibernie alter Regionis cuiusdam Northumbriæ. Quid illa non inelegans figura in medio (partis anticæ) sibi velit, ignoro ; neque illam posticæ partis, nisi Templi cuiusdam frontem representet, intelligo ; neque magis, quis iste Farhin sive Farninus fuerit, mibi cognitum. Multum me, quo pacto Anlafus, ut ethnicus, Nummum suum notare Templi crucigeri schemate quiverit, exercevit cogitatio, donec, a Domino Charletonio commonistratum mihi, viderem Sibtrici (qui Anlafum genuit) Christiani Principis, Numisma cum ejusmodi plane figuris ; unde eandem formam a Monetario, ex nimia præcipitania, vel alia quapiam de caussa, adhibitam odorabar. Quæ majorem lucem foenerantur a Nota inferius Nummum Sibtrici, eundemque vigesimum nonum Tabulæ VIII. illustrante. Sibtric was a Danish King in Northumberland, for his pride and tyranny very much hated of his neighbours. To strengthen himself, he desired to marry Edith the Sister of the great Æthelstan; who would not consent till he promised to become Christian, as he did, and was baptized, but died not long after. His two Sons, because they would not turn Christians, fled their Countrey ; Gudferth went into Scotland, and Anlaf into Ireland ; where they wrought all the mischief they could against the English ; till Æthelstan utterly vanquished them both. Notam hanc sic verto : *Sibtricus Danicus fuit Rex in Northumbria, propter fastum & tyrannidem vicinis perdiditus.* Fir-

mande potentie suæ caussa nuptias expetivit Edithæ, Sororis magni Æthelstani, qui eas affensu antea comprebare noluit, quam iste recepisset, se Christianam amplexurum. fidem, id quod recepit, & baptizatus est, nec ita multo post mortuus. Cujus duo filii, quod CHRISTI detrectassent, e Regno excedere coacti, Godefri-dus in Scotiam, Anlafus in Hiberniam, se contulerunt; ubi omnem, quam potuere, Anglis macbinati sunt perniciem, usque dum Æthelstanus ambos penitus debellaret. Nec non eundem porro hunc Anlafi Nummum Nobilissimus Andreas Fountaine (Eques Auratus, Ædis CHRISTI apud Oxonienses Alumnus & decor ingens) a Walkerio acceptum, atque Tabula III. ad Dissertationem suam Epistolarem de Numismatibus Anglo-Saxonicis & Anglo-Danicis, minore, sicuti par est, modulo exhibitum, eidem Anlafo, Sihtrici Filio, & Regi Northan. Hymbrorum seu Northumbrorum, adscribit, nescius, quid indicent Icones ex utraque parte hujus Numismatis; haud enim ipsi videntur Icon partis aversæ representare faciem seu frontispicium cuiusdam Ecclesie, sicuti Walkerus opinatus est. Hæc (rem nummariam veteris Angliae egregie illustrans) Dissertatio sub exitu comparet prioris Tomi vasti ac splendidissimi, de antiqua Literatura Septentrionali, Operis, quod auspicio maximamque partem studio Viri, ob mirandas ingenii dotes, cum ab omnibus Literatis, tum præcipue φιλαρχαιοις, sine summo honore nunquam nominandi, Georgii Hickeſii, in lucem prodiit, Oxoniæ, anno CHRISTI MDCCCV. Mihi sane aliquanta oboritur suspicio, Anlafos istos haud diversos, sed unum eundemque esse, antea scili-

cet Northumbriæ , ac postmodum Hiberniæ , vel , si mavis , Dubliniensium Regem . At quoquo modo res hæc sese habet , per neglectam loci additionem , nondum satis liquet , utrum hujusmodi Anlafiani Nummi Britanniæ , an vero Hiberniæ suos debeant natales . Quid ergo consequentius , quam ut nec sententia hæc Waræi , pro pecunia Ostmannorum , firmo sat innitatur argumento ?

In transcursu magnas laudato supra Fountainio agο gratias , quod in laudata Dissertatione , ad Nobilissimum illud Numisma *Runicum* , quod in Britannia Camdeno - Gibsoniana , Columna 814. primum publica delineatione atque descriptione conspectum , meam quoque de se elicuit sententiam , amicam admodum meū facere mentionem non sit dignatus . Insimul de assensu Eruditissimi Viri haud proorsus nullo mihi gratulator , qui Numisma istud ad alterutram Londinensem , Urbem , nempe aut Anglorum aut Scanorum , pertinere , plane sum ratus , ceu vel ex hoc postremo sententiæ meæ loco liquet . Ex jam dictis liquido , ni fallor , constat , quod Argentum istud non vetustis Amuletis , sed veteribus Nummis , iisque , quos Londinum in Anglia produxit , debeat accenseri . Si quis tamen maluerit , monetam Londinensibus reddere Scanis , ei non magnopere adversabor . Potuerit enim illa apud ipsos , ad exemplum Anglicarum monetarum , auctoritate Viri cuiusdam in amplissimo aliquo dignitatis & eminentiæ gradu constituti , cui Thurogothi fuerit nomen , olim esse percussa . Sed ecce ipsa Fountainii verba una cum Numismate , quod is non omnino tali , ut Cl . Gibsonius , schemate repræsentavit , sed aliquantum contractiore cum notis

multam partem aliter fictis, fereque similiore schemati
 Tabulæ, in eadem Britannia, secundæ Walkerianæ trice-
 simo quarto, quo etiam idem istud Numisma sibi debere,
 magna mihi suspicio est, quæ si non vana, tam diver-
 sas unius Nummi delineationes merito quis miretur.
Numismatum omnium, ait Fountainius ille, *que aut An-*
glo-Saxonibus aut Anglo-Danis in usu fuisse videntur,
nullum notatu dignius est, quam id literis Runicis in-
scriptum, quod possidet Vir genere ♂ ingenio clarus Ra-
dulphus Thoresbeius Leodiensis. In nupera versione
 Britannæ Camdenianæ *inscriptio ejus ita legitur ♂ ex-*
plicatur: Thur Gut Luëtis, hoc est, juxta Interpretis
istius mentem, Thoris Dei Facies seu Effigies. Opina-
 tur enim Interpres ille Figuram Nummo impressam re-
 presentare Deum Thorem, eoque modo, quo coli solebat,
 flamma scilicet ad Solis instar ambiente caput, ♂ dextra
 gestante Sceptrum seu aureum Malleum. At vero Hic-
 kesijs, Literatura Septentrionalis Instaurator, amice me
 docuit, lectionem prædictam, Thur Gut Luetis (modò
 vera fuerit) non reddendam esse, Thoris Dei Facies,
 sed Thor Deus Populi, vel Thor Deus Patrius; quippe
 singula hæc Vocabula Liut, seu Luit, seu Luet (in Geni-
 tivo Casu Luetis) idem valent ac Populus. (v. Fig. B.)
 Est autem ♂ alia Interpretatio Inscriptionis, de qua
 nunc agitur, ab Erudito Nicolao Kederō (Regii Antiqui-
 tatum Collegii, quod Hilmæ est, Assessore) excogitata ♂
 Lipsie nuperrime in lucem edita, quam ad me transmit-
 tendam curavit Illustrissimus Leibnitius, multis nomini-
 bus Reipublicæ literariæ, præsertim vero mihi, quam
 maxime estimandus. Autumat Kederus figura prædicta
 representari non Thorem seu Thoris Idolum, sed Domi-

num Salvatorem nostrum, Literasque inscriptas hunc ad modum esse legendas, Thurgut Luntis; & lectionem banc ita reddendam Thurgut Lundinensis. Vult nimirum Thurgut esse nomen Monetarii, & Luntis seu Lundis non aliud esse, quam Londinum, ubi Nummus excusus est. Nec certe desunt argumenta satis valida, quibus Vir Doctissimus hanc suam firmare voluit sententiam; nisi quod Inscriptio videatur rectius reddi posse Thurgut Lincolnensis, quam Londinensis. A Lyndo enim seu Lindo veteri Lincolnensis Urbis appellatione, Saxones fecerunt LYND seu LIND, cuius Genitivus cernitur in Vocibus LYNDIS - EGE, Lyndseia; LYNDIS - YARA, Lincolnenses. At vero tandem quid obstat, quo minus excudi potuerit Nummus hic in Urbe illa Scaniæ in Suecia, que ab antiquis omnibus Lundis dicta est, hodie dici solet Londinum Scanorum; maxime cum Literæ Runicæ, tam apud Scanos in usu essent, quam apud Jutas, Anglos, eorumque posteros in hac nostra Terra? Sed revertamur ad institutum.

Tertio, sententiæ isti Waræanae validiora & prorsus solida suppositurus fulcimenta, id est, efficaciter probaturus, quod veteres Normanni (seu Ostmanni) Hibernici, ante illata in Hiberniam, felicibus Henrici II. auspiciis, Signa Anglicana, domesticam habuerint monetam, quinos profero, ac Senatui P. Q. Literato officiosa mente palam ostendo, argenteos eximia rareitate Nummos, e Svecana Tellure effossos, eosdemque meos, excepto eo, qui Figura 15 repræsentatur. Eum enim possidet Nobilissimus, Amplissimus, mihiique Amicissimus Georgius de Besche, Pater, Dominus de

Fors-

Forsmark, Vir, si quis alias, Antiquitatum patriarcharum amantissimus.

Nequeo dememinisse benevoli istius (camino luculentissimo, dapibus exquisitissimis, Lyæo veterissimo generosissimoque testati consignatique) animi, quo Amicissimus ille me, særissime hospitaliter invitatum, permittente paulisper meliore aliquantulum valetudine mea, Mense Januariø Anni M DCC VI. in supradicto Forsmark excepit. Non excidit e memoria amoenissimus ille loci situs. Neque excidit ea ferrarium ibidem operum præstantia. Hic ferri venæ, e Fodina Danmorensi advectæ, vastis fornacibus excoquuntur & liquantur, inque massas fusæ rigescunt. Hic calentes plurima flamma Officinæ Cyclopum. Ubi versatilibus, quæ præcipitantis fluminis impetu rotantur, Machinis acti, nocte dieque, prægrandis molis Mallei, gentem exercent fuligine tintam. Ubi

Brontesque Steropesque & nudus membra Pyracmon atque reliqui fudorum consortes, suis vicibus operi succedentes, ignitas, Malleis Incudibusque interpositas massas, tenacibus versant forcipibus, ac sensim pedentimque productius extendunt. Ubi idem scintillantium fragores, spumantium fremitus aquarum, & folium spirantium murmura tam commiscentur horride, ut inde aures adstantium, quæ auditus orbitate occlusæ, patefieri quasi & sensum recipere, quæ vero acutæ, prorsus obtundi, queant. Jucundum contemplari (huc applicabo, quibus jucundissimus Gallus, Carolus Ogerius, in Itineris Svecici Descriptione, Officinas mirando ærarias Norcopienses, usus est, verba) Neptuni Vulcanique iras, hominum industria domitas, & coer-

coercitas, imo etiam ad eorum usus & commoda transductas. Sed hisce relictis, ad rem.

En hīc Nummos (v. Figg. 13. 14. 15. 16. 17.) qui Sihtrico vel Sihtricis, Normannorum Dubliniensium, diu ante infestatam ab Anglis sub Henrico secundo Hiberniam, Regulo vel Regulis, acceptum referunt ortum. Singulatim unumquemque contemplemur.

In Nūmō I.

(v. Fig. 13.)

hæc habentur:

SIHTRIC REX DYFLIN. Caput virile galea (ut apparet) opertum, striata sphærulisque exculta.

FÆREMAN MO DYFLI. Crux magna, singulis ramis in trinas quasi Lunulas desinentibus.

* * *

SIHTRIC Nomen proprium viri est, idemque ac nostrum *Sigtryg* seu *Sigtrygr*, proclive enim est G cum H & C; Y cum I commutare, harumque commutationum innumera passim extant exempla. Conflatum vero est *Sigtryg* e vocibus Gothicis *Sigr* & *Trygr*, priore *Victoriam*, altera *securum*, *tutum* ac *certum*, sonantibus, loquiturque ita eum, qui *Victoria securus*, vel *Victoria certus* est. Haud dissimili ratione e *Sigr* aliisque vocibus familiaria victoriosissimo Cardinis Arcticci Populo alia composita sunt Nomina: ut *Sigfredr*, *Sig-frodr*, *Sig-mundr*, *Sig-niutr*, *Sig-valdr*, *Sig-vastr*, *Sig-vidr* &c.

REX DYFLIN. Lego REX DYFLINien-sium, id est, *Rex Dubliniensium*. Hi a Waterfordiensibus aliisque in Hibernia Normannis sive Ostmannis distin-

guebantur; atque Ivarus quidam, quod cunctis præfuit Normannis Hibernicis, *Rex Normannorum totius Hiberniae* in Annalibus appellatus est.

FÆREMAN proprium viri Nomen est, & quidem hoc loco Monetarii. Consimili Nomine indicatur Monetarius Nummi Anlafiani superius exhibiti; ibi quippe illud FARHAN mihi legenti FARMAN est, quandoquidem Anglo - Saxonibus aliisque M saepissime ut H pingitur. V. sis Fountainii Alphabetum e Numismatis Anglo - Saxonicas & Anglo - Danicas desumptum.

MO DYFLI. id est, *Moneta Dyfliniensis*, seu *Dubliniensis*; quod Nummum Dubliniæ cusum esse, monstrat. Est autem hæc nobilissima illa Hiberniæ Vrbs, Ptolemæo Eblana, Latinis *Dublinia* seu *Dublinum*, Anglo - Saxonibus *Duflin*, Normannis *Dyflin*, Anglis recentioribus *Develin*, Cambro - Britannis *Dinas Dulin*, atque Hibernis dicta *Balaclagh*, Latiali interpretamento, *Vrbs super crateres*, quippe quæ subjectis in palustri loco crateribus condita affirmatur.

In Nummo II.

(v. Fig. 14.)

SIHTRC REX DYFL NM. Caput Viri galeatum.

GIOTHMAN MO LVNI. Crux recens descriptæ plane gemina.

*

*

SIHTRC. Elementis R & C interpone I, ut vox integre sit *sibtric*.

REX DYFL NM. An hanc habent ista mentem: REX DYFLiniensium NorMannorum?

GIOTH-

GIOTHMAN Monetarii est Nomen.

MO. LVNI. MO nihil aliud est , quam MONeta. Qui vero locus per LVNI intelligi debeat, me , id prorsus ignorantem, haud gravate doceant Hiberni.

In Nummo III.

(v. Fig. 15.)

SIHTRiC REX DYFL INiensium. Caput , quale in duobus proxime antecedentibus Nummis.

BIRHTIOD. MOneta RINI. Crux,qualem in duobus proximis vidimus Nummis.

*

Per BIRHTIOD indicatur Monetarius ; per RINI autem locus. Hunc , utpote æque mihi incognitum ac per LVNI indicatum , feliciori aliorum indagini relinquo.

Haud multo minori forent Numismata , si plura superessent, Ostmanno - Hibernica , ad veteris Hiberniæ Topographiam illustrandam , quam , ad priscæ Angliæ , Anglo - Saxonica & Anglo - Danica . De hisce in alteram hanc rem laudatissimus Dominus Fountaine ita : *Quemadmodum multorum Hominum illustrium , sic & locorum , præsertim Regionum , Oppidorum & Villarum Nomina posteris prodiderunt veteres nostri Nummi , qui eo nomine adeo non sunt contemnendi a rei nummarie studiosis , ut multum ab illis estimandi sint . Hinc Topographiaæ Anglo - Saxonicae seu Britanno - Saxonicae studiose non possunt non esse maximi usus , cum non solum Urbium & Oppidorum Nomina , sed pro Temporibus , in quibus impressi erant , receptam scribendi ratio.*

tionem in aversis suis partibus ostendunt. Quamobrem ad Britanniæ seu Anglo-Saxonice seu Dano-Saxonice Topographiam conficiendam maxime utiles sunt, quam quidem desiderari animadvertisit Hickeſius noster Dissertationis sue Epistolaris pag. 121. Et ad quod Opus aggredendum e Saxonice Literaturæ peritis aliquem vehementer exhortatur. Quæ verba ad Numismatum meorum Anglo-Saxonicorum & Anglo-Danicorum (quæ, priscæ puta Piraticæ plurima ex parte lucra & vestigia, e Telliure Sveco-Gothica casus non unus protraxit) nudum & simplicem Indicem seu Catalogum huic Opusculo subjungendum, me compilere; uberiorē eorum explanationem propediem (si cum sana mente vita & vi-riūm aliquantum in hoc sanitatis egentissimo suppetent corpusculo) alibi daturum. Interea contenti sumus, ut Augusti illud usurpem, hoc Catone.

In Nummo IV.

(v. Fig. 16.)

SIHTRIC REX DYFLiniensium NoRmannorum. Caput Virile fronte Regium in morem redimita. ÆLFELM (Monetarius) MOneta DYFLiensiſis MO. Parva Crux.

*

Quid aliud per NR, quam Vox NoRmannorum, intelligi debeat, non video.

Illud ultimum MO videtur MOneta etiam esse, adeoque abundare.

In Nummo V.

(v. Fig. 17.)

SIHTRC REX DYFL MO. Caput Viri decoratum Corona e Lilii floribus exsurgentibus configu-

gurata, & obseptum Schemate Rosam quadrifoliam simulante,

STEGEN (Monetarius) MONeta ON Dyflin.
Crux magna in brachiorum fine ter quasi lunata, cuius media munit Schema quoddam speciem ferme Rosæ quadrifoliæ referens, ad singulos angulos globulo intus exornatum.

* * *

Quid τὸ MO in parte adversa sibi vult? An ibi etiam *Moneta* est? At vix & ægre *Monetæ* Vocabulum in adversis Nummis locum habet, nec facile cum anterioribus SIHTRC REX DYFL. qualia jam antea explorata habemus, cohæret; quare επέχω.

ON Dyflin. *On* (pro quo aliquando occurrit *An*, a Goth. ANA, docente Hickesio cap. 14. Gramm. Anglo-Sax. & Mœso-Goth.) Anglo-Saxonibus est quod Latinis *In*; Et illud *On* cum addito *Dyflin* est, si interpretris, *in Dublinio*, seu simpliciter, *Dublinii*.

Cæterum, cum plures extiterint Sihtrici, Dubliniæ Reguli, postulat nunc instituti ratio, ut, ad quemnam vel quosnam eorum hosce Sihtricianos Nummos referam, dicatur.

Ego quatuor Nummos priores ad istum, Æthelredi, Patre Edgaro nati, Anglorum Regis, æqualem, Sihtricum refero, & quidem inductus consimili illa, quam hi Nummi cum Æthelredi Sterlingis habent, specie. Namque per ista proximaque tempora id moris Normannicorum fuit Principum, ut, ad Anglicæ Regum ipsis synchronorum Monetæ imaginem & simulachrum, suos curarent signari Nummos. Id quod aliquatenus datur videre in nuper edita Com-

mentatione mea de præstantissimis quibusdam Olai
Speci, Anundi *Carbonarii*, Haquini *Rufi*, Sueciæ Re-
 gum, ac Svenonis *bifida barba*, Daniæ Regis, Num-
 mis. Ex horum Nummorum mentione, qui sane
 priscæ rei nummariæ Septentrionis illustre, imo pri-
 marium, adstruunt decus, duo insuper Olaviani (bo-
 na Lectoris cum venia) hic spectandi describendique
 veniunt. Alter, meus, ex tribus illis est, quos in ista
 Commentatione, ob explanationis difficultatem, in pe-
 nitius maturiusque scrutinium reservabam; insignitus
 (v. Fig. γ.) a parte principaliore, Capite Regis sceptri-
 feri, & epigraphe: OLAFA REX ANCOL. a parte au-
 tem sequiore, Crucis figura vocabulo CRUX interstin-
 cta, nec non epigraphe. LEOFMAN M AN. Ubi O-
 LAFA (seu OLAF potius) est *Olaus* sive *Olavus*; LEOF-
 MAN Monetarii nomen; M. Moneta; AN, in, quæ
 præpositio ob spatioli angustiam Nomine Loci desti-
 tuitur, qui Nummo fuit natalis. Hæc per se plena sunt: τὸ
 ANCOL explanatori omne facessit negotium. At ni-
 hil tandem aliud mysterii subesse mihi visum, quam
 quod illud ANCOL, ex ANGLOrum voce, quam imitan-
 dus Æthelredi Nummus exhibuerat, corruptum, Scul-
 ptore aliud agente, pro τῷ sive SVEVOR. sive SVENOR.
 siue AN SIHTVNE, in Olai Nummum intempestive
 irrepserit. Alterum ex Nobili etiam illa, anno M.
 DCC. IV. in *Nesby* apud Roslagos, forte reperta Ga-
 za, elapsum, laudabilis Peringskioeldiana diligentia,
